

humanis, sed propter finem spirituales, quem intendunt, ab iis in nonnullis differunt, quales sunt *ecclesie*, tam *privata* quam *publica*. Equidem non raro *schemata politica* induunt, & ad commercium aliquod civile degenerant, sed id ipsum inter abusus referendum. Ne itaque hic in *defectu* & *excessu* peccetur, status *societatis ecclesiasticae* paulo latius & penitius enucleandus est, quod *capite seq.* expediam. Interim plura, quae hanc societatem a *mere humana* discernunt, adduxi & explicavi in *dissert. preliminar. ad ius eccles. protestant. de suprema lege ecclesiastica.*

CAP. II.

De

Statu genuino ecclesiae.

§. I.

Confusionem ingentem in iure ecclesiastico peperit, quod illi, qui huic iuri operam dederunt, *statum* genuinum *ecclesie* non indagauerint, simulque hunc terminum ab omni æquiocatione liberauerint. Nam nisi accurate intelligatur, quodnam *societatis* genus constituat ecclesia, nec de iuribus ecclesiasticis recte iudicari potest, cum iura sequantur *statum societatis*. Ut ergo in sequentibus eo tutius & inoffenso pede progredi possim, de *statu ecclesie* ante omnia agendum erit.

Vox ecclesiae
ambigua.

§. II. Hoc certum est, & omnium Theologorum assensu constat, ecclesiae vocem origine græcam, ἀπὸ τῆς ἐκκαλέειν, ab *euocando*, dictam esse, ut idem sit, ac quædam *euocatio*. Imprimis vero eius usus fuit in Democratiis, qua Græci notabant *conuentum*, seu *congregationem populi*, præconis voce Reipublicæ causa ad auscultandum, consultandum decernendumue de negotiis publicis a reliqua turba selecti, vel e priuatis ædibus ad communem locum euocati. Et hinc Atheniensibus natales eius adscribit HILDEBRAND. in *theolog. dogm. cap. 22. §. 2.* cum PVFEND. de *habit. relig. §. 30.* Distinguebant vero inter ἐκκλησίαν νόμιμον *legitimam*, quæ, *stato tempore*, ter in mense habebatur, & σύγκλητον, *conuocatam* & *indictam*, quæ repente, urgente quadam ex causa, fiebat, uti ex Suida obseruat ZIEGLER de *dote eccles. c. 1. §. 1.* & huc refert quæ AEL. XIX, 32. traduntur de Ἐκκλησίᾳ συγκεχυμένη, & de eccle-

Ecclesia vnde
dicatur.Quid ecclesia
apud Athenienses.

B

fia